

PRÆFATIO.

Deprompseruntque Poëta Heroici & Tragici ex historiis argumenta, quæ multis eloquentiæ luminibus ornarunt, ut in animos lectorum spectatorumve imagines officiorum vitæ eo melius penetrarent. Quam rationem & Comædiæ ineunt, quæ fictis personis res veras imitantur, & describendis hominum consiliis atque moribus quid deceat, quidque fugiendum ostendunt. Ad hæc discendi docendique compendia Pictura accessit, quæ in Apologis menti representatur, ubi ex naturarum collatione tyranni effigies lupus est, placidi civis ovis, versuti denique & veteratoris vulpecula: id quod ex multis Fabellis apparet, quas Joachimus Camerarius, pater, in usum scholarum ex optimis auctoribus collegit, & Philippus Melanchthon egregia præfatione ornavit. Hæc adeo illa est ad scenam vitæ instituendi homines exercitationum varietas, ad quam & ipsa Philosophia pertinet, quæ ut leges muniat, causas necessarias cura & cogitatione eruit. A Stoicis ea dividitur in Dogmaticam & Paræneticam, quam ultimam Seneca novo vocabulo Præceptivam appellat. Illa doctrinam de moribus ritu scholastico proponit, præeunte Aristotele in egregio opere Moralium Nicomachiorum. Hæc autem generales regulas ad communem vitam facientes supeditat. Illa, recte judicante Seneca Epistola XCV. docet, hæc admonet; illa decretis, hæc præceptis instruit. Quippe „secundum Ciceronem Lib. III. Tusc. Quæst. duplex est ratio „veri reperiendi, non in iis solum, quæ mala, sed in iis „etiam, quæ bona videntur. Nam aut de ipsius rei natura, „qualis & quanta sit, querimus; aut a disputandi simplicitate orationem ad exempla traducimus. Hic Socrates commemoratur, hic Diogenes Cæcilianum illud in memoriam revocat: Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.

At-